

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

Liber quartus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-466)

L. ANNÆI SENECAE
AD AEBVCIVM LIBERALEM
DE BENEFICIIS
LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.



ARGVTA ferè tractat, sed vtilibus (vt semper) mixtis. Querit, an Beneficium & Gratia per se expetenda? asserit, contra Epicurèos, qui omnia fructu metiebantur. Inter alia hoc argumento, quòd etiam Dii dent Beneficia: quod ipsum contra illos negantes vbertim docet. Obiectiones deinde remouet, quæ vtilitatem versari in Beneficiis docere videantur. Tum ad Gratiâ venit, & ostendit eam quoque referendam solius Honesti, non Utilis, ad spectu. Tum querit, An quem scias ingratum futurum, beneficium sit dandum? distinguit, & partim ait, partim negat.

CAPVT PRIMVM.



Ex omnibus quæ tractauimus, Aebuci Liberalis, potest videri nihil tam necessarium, aut magis (vt ait Salustius) cum curâ dicendum, quàm quod in manibus est: An beneficium dare, & inuicem gratiam referre, per se res expetendæ sint? ¹ Inueniuntur qui honesta in mercedem colant, quibusque non placeat virtus gratuita: quæ nihil habet in se magnificum, si quidquam habet vænale. Quid enim est turpius, quàm aliquem computare, ² quanti vir bonus sit: cum virtus nec lucro inuitetur, nec absterreatur damno, adeoque neminem spe ac pollicitatione corrumpat, vt contra in se ³ impendere iubeat, ac sæpius in ⁴ vltro tributis sit? Calcatis vtilitatibus ad illam eundum est, quocunque vocauit, quocunque misit, sine respectu rei familiaris: interdum etiam, sine vllâ sanguinis sui parsimoniâ vadendum, nec vnquam imperium eius detrectandum. Quid consequar, inquit, si hoc fortiter, si hoc gratè fecero? ⁵ quòd feceris. Nihil tibi extra promittitur: si quid fortè obuenerit commodi, inter accessiones numerabis. Rerum honestarum pretium, in ipsis est. Si honestum per se expetendum est, beneficium autem honestum est, non potest alia eius conditio esse, cum eadem natura sit. Per se autem expetendum esse honestum, sæpè & abundè probatum est. In hac parte nobis pugna est cum Epicureorum delicatâ & vmbraticâ turbâ, in conuiuio suo philosophantium: apud quos virtus voluptatum ministra est. Illis paret, illis deseruit, illas supra se videt. Non est, inquit, ⁶ voluptas sine virtute. Sed quare ante virtutem est? De ordine putas disputationem esse? de re totâ, & de potestate eius ambigitur. non est virtus, si sequi potest. Primæ partes eius sunt. ducere debet, imperare, summo loco stare: tu illam iubes ⁷ signum petere. Quid, inquit, tuâ refert? & ego, sine virtute, nego beatam vitam posse constare. Ipsam voluptatem, quam sequor, cui me ⁸ mancipaui, remotâ illâ, improbo & damno. de hoc vno disputatur, vtrum virtus summi boni causa sit, an ipsa summum bonum. ⁹ Vt hoc

A ⁴⁶ aliquis probè fecerit, non tamen debet referre gratiam sibi, quia non habebit, ⁴⁷ cui referat. Ut concedam aliquem dare sibi beneficium: dum dat, & recipit. ut concedam aliquem à se accipere beneficium, dum accipit, reddit. Domi (quod aiunt) ⁴⁸ versura fit, & velut ⁴⁹ lusorium nomen statim transit. Neque enim alius dat quàm qui accipit, sed vnus atque idem. Hoc verbum DEBERE, non habet nisi inter duos locum: quomodo ergo in vno consistit, qui se obligando liberat? Ut in orbe ac pilâ nihil est inum, nihil summum, nihil extremum, nihil primum, ⁵⁰ quia motu ordo mutatur, & quæ sequebantur præcedunt, & quæ occidebant oriuntur, omnia quomodocumque ierint, in idem reuertuntur: ita in homine existima fieri. cum illum in multa mutaueris, vnus est. Cecidit se: iniuriarum cum quo agat, non habet. alligauit & clausit: de vi non tenetur. beneficium sibi dedit: protinus danti reddidit. Rerum natura nihil dicitur perdere, quia quidquid illi auellitur, ad illam ⁵¹ redit: nec perire quidquam potest, quod quò excidat non habet, sed eòdem reuoluitur vnde discedit. Quid simile, inquit, habet hoc exemplum propositæ quæstioni? dicam. Puta te ingratum esse, non peribit beneficium: habet illud, qui dedit. puta te recipere nolle: apud te est, antequam redditur. Non potes quidquam amittere: quia quod detrahitur, nihilominus tibi acquiritur. Intra te ipsum orbis agitur. accipiendo das, dando accipis.

IX.

B Beneficium, inquit, sibi dare oportet: ergo & referre gratiam oportet. Primum illud falsum est, ex quo pendent sequentia. Nemo enim sibi beneficium dat, sed naturæ suæ paret, à quâ ad caritatem sui compositus est: vnde illi summa cura est nocitura vitandi, profutura appetendi. Itaque nec liberalis est, qui sibi donat: nec clemens, qui sibi ignoscit: nec misericors, qui malis suis tangitur. Quod alijs præstare liberalitas est, clementia, misericordia: sibi præstare, natura est. Beneficium res voluntaria est: at prodesse sibi, ⁵² necessarium est. Quò quis plura beneficia dedit, beneficentior est. Quis vnquam laudatus est, quòd sibi ipsi fuisset auxilio? quòd se eripuisset latronibus? nemo sibi beneficium dat, non magis quàm hospitium: nemo sibi donat, non magis quàm credit. Si dat sibi quisque beneficium, C semper dat, sine intermissione dat: inire beneficiorum suorum non potest numerum. Quomodo ergo gratiam referet, cum per hoc ipsum, quo gratiam refert, beneficium det? Quomodo enim discernere poterit, vtrum det sibi beneficium, an reddat, cum intra eundem hominem res geratur? Liberaui me periculo: beneficium mihi dedi. iterum me periculo libero: do beneficium, an reddo? Deinde ut primum illud concedam, dare nos beneficium nobis: quod sequitur, non concedam. nam etiam si damus, non debemus. quare? quia statim recipimus. Accipere beneficium nos oportet, deinde debere, deinde referre. Debendi locus non est, quia sine vllâ morâ recipimus. Dat nemo, nisi alteri: debet nemo, nisi alteri: reddit nemo, nisi alteri. Id intra vnum non potest fieri, quod toties duos exigit.

X.

Beneficium est, præstitisse aliquid vtiliter. verbum autem *Præstitisse*, ad alios spectat. Numquid non demens videbitur, qui aliquid vendidisse sibi se dicet? quia venditio alienatio est, & rei suæ, iurisque sui, in alium ⁵³ translatio. Atqui quemadmodum vendere, si dare aliquid, à se diimittere est, & id quod tenueris,

D

46. ALIQUIS PROBE.] *Vetus scriptio*: aliquid prodesse sibi: quod ego fecerim, aliquid probè sibi fecerit.

47. CUI REFERAT.] *Meus*, quòd referat. quòd hominem locumque diuersum magis notat.

48. VERSURA.] *Versuram facere*, ait Donatus, est creditorem mutare, & fœnus fœnore dissoluere. Domi autem ea fit, cum ut suprâ dictum, à nobis ipsis mutuamur. Vide epist. XIX.

49. LUSORIVM.] *Inane, nec verum*. Ita arma lusoria, quæ veris & decretorijs opponuntur. ita Spectaculum non fidele, & lusorium. epist. LXXIX.

50. QVIA MOTV.] *Meus negationem inserit*,

quia neque motu. & res ita habet: dixitque clarè, nihil primum esse, nihil extremum. Opinione tamen nostrâ tale aliquid potest: ac vide Aristotelem, si vis, II. de Celo, cap. II.

51. REDIT.] *Amisâ formâ, in aliam: & æterna materia prima*. Vide epist. XXXVI.

CAP. IX. 52. NECESSARIVM.] *Eo modo, quo necessaria dicuntur, οὐτως ἐχοντα ἡμῶν τὰ κοινὰ*: ita se habentia, & sic nata. Aristoteles I. De part. Animal. cap. I. Adde cap. V. lib. V. Metaph.

CAP. X. 53. TRANSLATIO.] *Legitima definitio, & Imperatorie illi consonans*: Alienatio est omnis actus, per quem dominium transfertur.

54. ALI-

nueris, habendum alteri tradere. Quod si est, beneficium nemo sibi dedit: quia nemo A
 dat sibi ⁵⁴ aliquid. Duo contraria in vnum coeunt, vt idem sit dare, & accipere. Sed
 etiamnum multum interest, inter dare, & accipere. quidni? cum ex diuerso ista verba po-
 sita sint. atqui si quis sibi beneficium dat, nihil interest inter dare & accipere. ⁵⁵ Paulloan-
 te dicebam, quædam ad alios pertinere, & sic esse formata, vt tota significatio illorum
 discedat à nobis. Frater sum, sed alterius. nemo est enim suus frater. Par sum, sed alicui.
 qui est enim par sibi? Quod comparatur, sine altero non intelligitur: quod iungitur,
 sine altero non est. Si & quod datur, sine altero non est: & beneficium sine altero non
 est. Id ex ipso vocabulo apparet, in quo hoc continetur, benefecisse. Nemo autem sibi
 benefacit; non magis quam sibi fauet, quam suarum partium est. Diutius hoc & pluri-
 bus exemplis licet prosequi. quidni? cum inter ea sit habendum beneficium, quæ se-
 cundam personam desiderant. Quædam cum sint honesta, pulcherrima, summæ vir-
 tutis, nisi cum altero non habent locum. Laudatur, & inter maxima humani generis
 bona, fides ⁵⁶ colitur. num quis ergo dicitur sibi fidem præstitisse? Venio nunc B
 ad ⁵⁷ vltimam partem. Qui gratiam refert, aliquid debet impendere, sicut qui soluit
 pecuniam: nihil autem impendit, qui gratiam sibi refert, non magis quam consequi-
 tur, qui beneficium à se accepit. Beneficium & gratiæ relatio, vtrò citroque ire de-
 bent: intra vnum hominem non est vicissitudo. Qui ergo gratiam refert, inuicem pro-
 deest ei, à quo consecutus est aliquid: qui sibi gratiam refert, cui prodest? sibi. Et quis
 non alio loco relationem gratiæ, alio beneficium cogitat? Qui gratiam sibi refert, sibi
 prodest. & quis vnumquam ingratus hoc noluit facere? imò quis non ingratus fuit, vt hoc
 faceret? Si gratias, inquit, nobis agere debemus, & gratiam referre debemus. Dicimus
 autem, *Ago gratias mihi, quòd illam uxorem nolui ducere, & cum illo non contraxi societatem.*
 Cum hoc dicimus, laudamus nos: & vt factum nostrum comprobeamus, gratias agen-
 tium verbis abutimur. Beneficium est quod potest, & cum datum est, non reddi: qui
 sibi beneficium dat, non potest non recipere, quod dedit: ergo non est beneficium. Alio
 tempore beneficium accipitur, alio redditur. In beneficio hoc est probabile, & suspi- C
 ciendum, quòd alteri vt aliquis prodesset, vtilitatis interim suæ oblitus est: quòd alteri
 dedit, ablaturus sibi. hoc non facit, qui beneficium sibi dat. Beneficium dare, socialis
 res est, aliquem conciliat, aliquem obligat: sibi dare, non est socialis res, neminem con-
 ciliat, neminem obligat, neminem in spem inducit, vt dicat: Hic homo colendus est.
 illi beneficium dedit: dabit & mihi. Beneficium est, quod quis non suâ causâ dat, sed
 eius cui dat: is qui sibi beneficium dat, suâ causâ dat: non est ergo beneficium.

XII. Videor tibi iam illud, quod in principio dixeram, mentitus? Dicis me abesse ab eo
 qui ⁵⁸ operæpretium facit: imò totam operam bonâ fide perdere? Expecta. etiam hoc
 veriùs dices, simul acte ad has latebras perduxero: à quibus cum euaseris, nihil amplius
 affecutus eris, quam vt eas difficultates effugas, in quas licuit non descendere. Quid
 enim boni est, nodos operosè ⁵⁹ soluere, quos ipse vt solueres, feceris? Sed quemadmo-
 dum quædam in oblectamentum ac iocum sic alligantur, vt eorum solutio imperito
 difficilis sit: quæ ille qui implicuit, sine vllò negotio separat; quia commissuras eorum D
⁶⁰ & moras nouit: & nihilominus illa habent aliquam voluptatem. tentant enim acu-
 men animorum & intentionem excitant: ita hæc quæ videntur callida & insidiosa, se-
 curitatem, torporem ac segnitiam ingenijs auferunt, quibus modò campus in quo va-
 gentur,

54. ALIOQVID.] Perplacet Gruteri correctio: dat sibi. Alioqui duo contraria.

55. PAVLLOANTE.] Initio Capitis: Præstitisse, ad alios spectat.

56. COLITVR.] Linius libro IX. de Romanis: Apud quos iuxta diuinas religiones Fides colitur. Et habuit Romæ iam à Numâ sacrariū, aut templum.

CAP. XI. 57. VLTIMAM.] An alteram? Intellegit hoc quod obiectum erat (initio cap. IX.) Beneficium sibi dare potest, ergo & referre gra-

tiam. Prius membrum de Beneficio, refutauit: nunc hoc alterum, de Gratiâ.

CAP. XII. 58. OPERÆPRETIUM.] Alludit ad verba primi Capitis, atque ipsa repetit. vide.

59. SOLVERE.] Aristippi in ijs lepidum dictum: Proponente quodam captiunculam, & vt solu-
 ret urgente: O fatue, inquit, quid opus soluere,
 quod etiam ligatum exhibet negotium?

60. ET MORAS.] Vulgò, mores. Illud aptius, & tamen aptius vellem. An fuit, ex more?

A moles, sed totas variæ distinctæque materiæ, cuius tu paruula frustra miraris, ³⁵ rectum verò aliter nocte, aliter interdiu fulgens: negas te ³⁶ vllum munus accepisse? Et cum ista quæ habes magno aestimes, quod est ingrati hominis, nulli debere te iudicas? Vnde tibi istum quem trahis spiritum? vnde istam, per quam actus vitæ tuæ disponis, atque ordinas, lucem? vnde sanguinem, cuius cursu vitalis continetur calor? vnde ista palatum tuum saporibus exquisitis vltra satietatem lacescentia? vnde hæc irritamenta iam lassæ voluptatis? vnde ista quies, in quâ putrescis, ac marces? Nōne si gratis es, dices,

— Deus nobis hæc otia fecit:

Namque erit ille mihi semper Deus. illius aram

Sapè tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Ille meas errare boues, vt cernis, & ipsum

Ludere quæ vellem, calamo permisit agresti.

Ille Deus est, non qui paucas boues, sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus vbique passim vagantibus pabulum præstat, qui pascua hibernis æstiuâ substituit, qui non calamo tantum cantare, & agreste atque inconditum carmen ad ³⁷ aliquam tantum ³⁸ oblectationem modulari docuit, sed tot artes, tot vocum varietates, tot sonos, alios spiritu nostro, alios externo, cantus edituros, commentus est: Neque enim nostra ista, quæ inuenimus, dixeris: non magis, quàm quod crescimus, quàm quod ad constitutum temporum sua corpori officia respondent. Nunc puerilium dentium lapsus, nunc ³⁹ adfurgentem iam ætatem, & in robustiorem gradum transeuntem pubertas, & vltimus ⁴⁰ ille dies fugienti vitæ terminum ponens. Insita sunt nobis omnium ætatum, omniumque artium semina, magisterque ex occulto Deus ⁴¹ producit ingenia. Natura, inquit, hæc mihi præstat. Non intelligis te, cum hoc dices, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, ⁴² quàm Deus, & diuina ratio, toti mundo & partibus eius inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum ⁴³ nostrarum compellare. & Iouem illum optimum ac maximum ritè dices, & ⁴⁴ tonantem, & statorem: qui non (vt historici tradiderunt) ex eo quod post votum susceptum, acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio eius omnia, stator, ⁴⁵ stabilitorque est: hunc eundem & fatum si dixeris, non mentieris. nam cum fatum nihil aliud sit, quàm series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex quâ ceteræ pendent. Quæcumque voles

35. TECTVM.] Calum ipsum.

36. VLLVM.] Mei, nullum: Græcico more.

37. ALIQVAM TANTVM.] Diu est, cum emendauit, aliquantam: & palam accedit meus liber.

38. OBLECTATIONEM.] Mei aliique, obseruationem. cur reijcias? Obseruatio est, & leges in modulando: sed pauca & leues in pastorio calamo inflando.

39. ADSURGENTEM.] Concinnius, adfurgente iam ætate: & mox, transeunte.

40. ILLE DIES.] Ferri possit, nec sententia quidquam peccat. At libri aliò ducunt, qui ille deus surgenti iuuentæ: aut vt meliores, meique, ille dens. Dentem, dico, ingerit Seneca (nam certè ita scripsit) illum, qui iuuentam finit, & ad viriles statosq; annos ducit. Ij Genuini sunt duo, Latinis sic dicti, siue Maxillares: Græcis νεγυτῆρες, σφραγιστῆρες, γόμφοι. Plinius de istis, lib. xi. cap. xxxvii. Homini nouissimi, qui Genuini vocantur, circiter vigesimum annum gignuntur. Quod ille ex Aristot. ii. De Hist. anim. cap. iv. sumpsit. At Hippocrates producit paullo magis terminum, & nasci ait ἐν τῇ τετάρτῃ ἑβδομαδί: in quartâ hebdomade annorū. Ad mentē igitur Seneca hæc obseruatio, & ipsa Græca verba. quia νεγυτῆρες dicunt, ὅτι τὸ νεγίειν

τὴν ἡλικίαν: ab eo quod perficiant iuuentam; siue σφραγιστῆρες, quasi prudentes, quod adolescentiari tunc desinant, & in virilem maturitatem transire.

41. PRODVCIT INGENIA.] Videbatur legendum, ingenita. Sed cum Tertullianus quoque hunc locum ita laudet, De Animâ, cap. xx. nil mutemus. Producit igitur ingenia, ex seminibus scilicet insitis, & occultis per infantiam, quæ sunt & intellectus. Ita enim ibi ille doctor: & me, sodes, vide iii. Physiol. Dissert. vii.

CAP. VII. 42. QVAM DEVS.] Idem lib. ii. Quest. Nat. cap. xlv. Vis illum Naturam vocare? non peceabis. Adde huic rei cetera. Plinius sine cap. vii. lib. i. Per quæ declaratur Naturæ potentia, idque esse, quod Deum vocamus. Nos in Physiol. i. Dissertat. v.

43. NOSTRARVM.] Falsò. an tantum rerum nostrarum auctor? omnium. Libri vett. naturarum: rectum erit, mutato numero, naturæ. Natura rerum, in communi sermone, hoc totum.

44. TONANTEM.] Quod Græcâ etiam voce receptum efferri, docent lapides, in quibus legi IOVI BRONTONTI.

45. STABILITORQUE.] Sic libri fidi. & est dumtaxat explicatio prioris cognominis, non ipsum.

CAP.

- VIII. voles illi nomina propriè aptabis, vim aliquam effectumq; cælestium rerum continen- A
tia. Tot appellationes eius possunt esse, quot munera. Hunc & Liberum patrè, & Her-
culem, ac Mercurium ⁴⁶ nostri putant. Liberum patrem: quia omnium parens sit, quòd
⁴⁷ ab eo primùm inuenta ⁴⁸ seminum vis est, ⁴⁹ consultura per voluptatem. Herculem:
quia vis eius inuicta sit, quandoque lassata fuerit operibus editis, ⁵⁰ in ignem recessura.
Mercurium: quia ⁵¹ ratio penes illum est, ⁵² numerusque, & ordo, & scientia. Quocum-
que te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. nihil ab illo vacat: opus suum ipse
implet. Ergo nihil agis ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ.
quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine naturâ: sed idem est vtrumque, ⁵³ nec distat.
Officium si quod à Senecâ accepisses, Annæo te diceres debere, vel Lucio: non credito-
rem mutares, sed nomen. quoniam siue prænomen eius, siue nomen dixisses, siue cogno-
men, idem tamen ille esset. Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam: omnia eiusdem
Dei nomina sunt, variè vtentis suâ potestate. Et iustitia, probitas, prudentia, fortitudo,
frugalitas, vnius animi bona sunt: quidquid horum tibi placuit, animus placet. B
IX. Sed ne in aliam disputationem ex obliquo abeam, plurima beneficia ac maxima in
nos Deus confert, sine spe recipiendi: quoniam nec ille collato eget, nec nos ei quid-
quam conferre possumus. Ergo beneficium per se expetenda res est. vna spectatur in eo
accipientis vtilitas: ad hanc accedamus, sepositis commodis nostris. Dicitis, inquit, di-
ligenter eligendos quibus beneficia demus: quia nec agricolæ quidem semina arenis
committunt. ⁵⁴ Quod si verum est, nostram vtilitatem in beneficiis dandis sequimur,
quemadmodum in arando ferendoque. neque enim ferere, per se res expetenda est. Præ-
terea, quæritis cui dandum sit beneficium: quod non esset faciendum, si per se benefi-
cium dare, expetenda res esset. quocumque loco, & quocumque modo daretur, benefi-
cium erat. ⁵⁵ * Honestum propter nullam aliam causam, quàm propter ipsum, sequi-
mur. Tamen etsi nihil aliud sequendum est, quærimus quid faciamus, & quando, &
quemadmodum: per hæc enim constat. Itaque cùm eligo cui dem beneficium, id ago,
vt beneficium sit: quia si turpi datur, nec honestum esse potest, nec beneficium. C
X. Depositum reddere, per se res expetenda est: non tamen semper reddam, nec quo-
libet loco, nec quolibet tempore. aliquando nihil interest, vtrum infitior, ⁵⁶ an palàm
reddam. Intuebor vtilitatem eius, cui redditurus sum, & nociturum illi depositum ne-
gabo. Idem in beneficio faciam. videbo quando dem, cui dem, quemadmodum, quare.
Nihil

CAP. VIII. 46. NOSTRI.] Stoici, qui pla-
cebant sibi in his talibus, & mythica illa siue fabulosa,
ad mystica & arcana subtiliter aptabant. Damnem?
haud prorsus: imò Homero ausim dicere mentem
hanc fuisse. At de re, ipsa hæc aut similia vnius
Dei nomina, interpretata reperies in Zenone Dioge-
nis Laërtij: qui hoc recenset, vt dogma sectæ & sci-
tum. Vide me Physiol. I. Dissertat. IX. Est & Orphæi
versus:

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἡραίων, εἷς Διόνυσος:
Iupiter est idem Pluto, Sol, & Dionysus.

47. AB EO.] Nusquam hæc verba in membranis.
Ablegari possunt, ac sequens primùm, non infelici-
ter reformari, per eum.

48. SEMINVM.] Nulla ea vox in meis. & an
non ita scripserit? quod per eum inuenta vis. Quæ
vis? quam Arnobius explicat: feruentia numina
vim vomuere Lucilij: ipsum dico hoc humanum se-
men, & vim genitalem. Si remotius videtur, maneat:
etsi tentari etiam legere: quod per eum inuentæ
vis. Alludat ad Liberum, qui ipse iuuenis semper. Ce-
terum de hac interpretatione Augustinus, VI. de Ci-
uit. Liberum à liberamento appellatum volunt,
quòd mares in coëundo, per eius beneficium
emissis feminibus, liberentur. & ob hoc virilem

eam partem in eius templo poni. Imò illinc &
Thyrsi, & plura quæ volens omitto.

49. CONSULTVRA.] Vt futura, etsi plenius
esset, posteritati, propagationi, aut tale. Nam cui
alioqui consulet?

50. IN IGNEM.] Stoica mundi conflagratio, &
illa decantata ἐκπύρωσις. Comparat cum Hercule,
quia & is, monte Oetâ solutus in ignem.

51. RATIO.] Itemq; Oratio: sed non hæc sine illâ, D
id est Mente.

52. NUMERVSQVE.] Placet. & auctores habeo,
qui mensuras, pondera, numeros huic inuentori tri-
buant. Meus tamen liber, nostrisque, hic præfert.

53. NEC DISTAT.] Legunt iunctim alij, nec di-
stat officio.

CAP. IX. 54. QVOD SI VERVM EST.] Hæc
verba miror eiecta, cùm & libri optimi suggerant, &
sententia clamosè poscat.

55. * HONESTVM.] Notam apposui, & mihi hæc
defecta. Hactenus enim obiectio: nunc responsio, sed
ad secundam, non primam iniectionem. Considera.

CAP. X. 56. AN PALAM.] Malim transponi,
palàm, an.

57. QVAM

A Nihil enim sine ratione faciendum est. non est autem beneficium, nisi quod ratione datur: quoniam ratio, omnis honesti comes est. Quam sæpè hominum, donationem suam inconsultam obiurgantium, hanc audimus vocem, *Mallem perdidisse*, ⁵⁷ *quàm illi dedisse*? Turpissimum genus damni est, inconsulta donatio: multoque grauius malè dedisse beneficium, quàm non recepisse. Aliena enim culpa est, quòd non recepimus: quòd cui daremus non eligimus, nostra. In electione nihil minùs, quàm hoc quod tu existimas, spectabo, à quo recepturus sim. eligo enim eum qui gratus, non qui redditurus sit. Sæpè autem & non redditurus, gratus est; & ingratus, qui reddidit. Ad animum tendit æstimatio mea. Ideò locupletem, sed indignum præteribo: pauperi viro bono dabo. Erit enim in summâ inopiâ gratus: & cum omnia illi deerunt, supererit animus. Non lucrum ex beneficio capto, non voluptatem, non gloriam. vni placere contentus, in hoc dabo, vt quod oportet faciam: quod oportet autem, non est sine electione: quæ qualis futura sit, interrogas?

B gratum, alieni abstinentem, sui non auarè tenacem, beneuolum. Hunc verò cum elegero, licet nihil illi fortuna tribuat, quo referre gratiam possit, ex sententiâ res gesta erit. Si vtilitas me & sordida computatio liberalem facit, si nulli profum, nisi vt inuicem ille mihi profit: non dabo beneficium proficiscenti in diuersas longinquasque regiones, non dabo abfuturo semper, non dabo sic affecto, vt spes ei nulla sit conualescendi, non dabo ipse deficiens. non enim habeo tempus recipiendi. Atqui vt scias, rem per se expetendam esse, benefacere; aduenis modò in nostrum delatis portum, & statim abituris, succurrimus. Ignoto naufrago nauem, quâ reuehatur, & damus & ⁵⁸ instruimus. Discedit ille, vix satis noto salutis auctore, & numquam ampliùs in conspectu nostrum reuersurus, debitores nobis deos ⁵⁹ delegat, precaturque vt illi pro se gratiam referant: interim nos iuuat sterilis beneficij conscientia. Quid cum ipso vitæ in fine constitimus, cum testamentum ordinamus, non beneficia nobis nihil profutura diuidimus? quantum temporis consumitur, quamdiu secretò agitur, quantum & quibus demus? Quid enim interest, quibus demus, à nullo recepturi? Atqui numquam diligentius damus, numquam magis iudicia nostra torquemus, quàm vbi remotis vtilitatibus, solum ante oculos honestum stetit: tamdiu officiorum mali iudices, quamdiu illa deprauat spes ac metus, ac inertissimum vitium, voluptas. Vbi mors interclusit omnia, & ad ferendam sententiam incorruptum ⁶⁰ iudicem misit, quærimus dignissimos, quibus nostra tradamus: nec quidquam curâ sanctiore componimus, quàm quod ad nos non pertinet.

Et meherculè tunc magna voluptas subit cogitantem, *Hunc ego locupletiore faciam: huius dignitati adiectis opibus, aliquid splendoris affundam.* Si non damus beneficia, nisi recepturi, intestatis moriendum sit. Dicitis, inquit, beneficium ⁶¹ creditum insolubile esse: creditum autem non est res per se expetenda. Cum creditum dicimus, imagine & translatione vtimur. Sic & legem, iusti iniusti que regulam esse: & regula non est res per se expetenda. Ad hæc verba demonstrandæ rei causâ descendimus. Cum dico creditum, intelligitur tamquam creditum. Vis scire? adicio insolubile, cum creditum nullum non solui aut possit, aut debeat. Adeò beneficium vtilitatis causâ dandum non est, vt sæpè, quemadmodum dixi, cum damno ac periculo dandum sit. Sic latronibus circumuentum defendo, vt tutò transire permittatur: reum gratiâ laborantem tutor, & hominum potentium factionem in me conuerto, quas illi ⁶² detraxero fordes,

⁵⁷. QVAM ILLI DEDISSE.] *Glossema sapiunt.*

CAP. XI. ⁵⁸. INSTRVIMVS.] *Armamentis, & viatico.*

⁵⁹. DELEGAT.] *Frequens Iuris verbum. & significat pro se vicarium dare qui soluat. Vide infra VII. De benef. cap. XIX. Epist. XVIII. XXVII. & pluries. Hoc istud, Symmachus imitatur lib. VI. Ago gratias, & meam vicem, quia soluendo par non sum, cælestibus delego virtutibus.*

⁶⁰. IUDICEM.] *Nos ipsos, sed ab affectibus iam purgatos. Misit autem, iudiciale & comitiale verbum. Mittere in consiliu, in suffragium. quis mittit? quasitor.*

CAP. XII. ⁶¹. CREDITVM INSOL.] *Quia semper obligamur, & cum soluimus, debemus.*

⁶². DETRAXERO SORD.] *Eadem supra phrasis, lib. II. cap. ult. Dixi.*

des, sub accusatoribus iisdem fortasse ⁶³ sumpturus, cum abire in partem alteram pos-
 sim, & securus spectare aliena certamina: spondeo pro iudicato, & ⁶⁴ suspensum amici
 bonis libellum ⁶⁵ deiicio, creditoribus eius me obligaturus: ut possim seruare proscri-
 ptum, ipse proscriptionis periculum adeo. Nemo Tusculanum aut Tiburtinum emere
 paratus, salubritatis causâ, & æstiu secessus ⁶⁶ quoto anno empturus sit disputat: cum
 emerit, ⁶⁷ tuendum est. Eadem in beneficiis ratio est. nam cum interrogaueris, quid
 reddat, respondebo, bonam conscientiam. Quid reddit beneficium? dic tu mihi, quid
 reddat iustitia, quid innocentia, quid magnitudo animi, quid pudicitia, quid temperan-
 tia, si quidquam præter ipsas ⁶⁸ petis. Mundus in quid ⁶⁹ incessum absoluit? in
 quid ⁷⁰ sol diem extendit & contrahit? omnia ista beneficia sunt: fiunt enim nobis pro-
 futura. Quomodo mundi officium est, circumagere ⁷¹ rerum ordinem, quomodo solis
 loca mutare, ex quibus oriatur, in quæ cedat, & hæc salutaria nobis facere sine præ-
 mio: ita viri officium est inter alia, & beneficium dare. Quare ergo dat? ne non det, ne
 occasionem benefaciendi perdat. Vobis voluptas est, ⁷² inertis otio assuefacere corpuscu-
 lum, & securitatem soporis simillimam appetere, & sub densâ ⁷³ vimbâ latitare, tener-
 rimisq; cogitationibus, quas tranquillitatem vocatis, animi marcentis oblectare torpo-
 rem, & cibis potionibusq; intra hortorum latebram corpora ignauia pallentia sagina-
 re: nobis voluptas est, dare beneficia vel laboriosa, dum aliorum labores leuent: vel pe-
 riculosa, dum alios à periculis extrahant: vel rationes nostras aggrauatura, dum aliorum
 necessitates & angustias laxent. Quid meâ interest, an recipiam beneficia? etiam cum
 recepero, danda sunt. Beneficium, eius commodum spectat cui præstatur, non nostrum:
 alioquin nobis, non illi, damus. Itaque multa, quæ summam vtilitatem aliis afferunt,
 pretio gratiam perdunt. Mercator vrbibus prodest, medicus ægris, ⁷⁴ mango vernalibus:
 sed omnes isti, ⁷⁵ quia ad alienum commodum pro suo veniunt, non obligant eos qui-
 bus

63. SUMPTVRVS.] In me translaturus. quia ÿ qui
 illum, me vindicem, ut solet, incurrent. Igitur ego ac-
 cusabor, ego in sordibus & squalore ero.

64. SUSPENSVM.] Solet tabella siue, ut hic, libel-
 lus suspendi rebus vernalibus: etiam nunc vsitatum.
 Siqui ergo latitabat, frustrabatur, aut fraudabat;
 omisso homine, rem persequabantur, & domos, fundos,
 vernalia sic proponebant. Aut suspensum: in alto &
 conspicuo. atque ita Suetonius, de Claudio, cap. IX.
 Lege prædicatoriâ vernalem pependisse. Quid?
 ipsum? non: sed metonymiâ decorâ, res eius. Talem
 libellum Titulum Tibullus dixit:

— sedes iubeat si vendere auitas,
 Ite sub imperium sub titulumq; lares.

65. DEIICIO.] A Cicerone lux, & ipsi à Se-
 necâ, in eâ pro Quintio: Libellos Sex. Alfenus
 procurator P. Quintij deiicit. Solet, ubi quis de-
 fensorem se proficiebatur, imò si opus, sponsorem so-
 lutorémque.

66. QVOTO ANNO.] Si vera, sententia. qui e-
 mere Tusculanum salubritatis causâ vult, non pro-
 rogat nec disputat, quando? statim emit, & ubi emit,
 tuetur atque instaurat: ita in beneficiis, da, & dando
 iterum iterumq;, tuere. Sed non nego, suspecta mihi
 dicta verba. cur de anno? cur non de fructu potius,
 quod illatio huius similitudinis poscit? Nam negat ro-
 gandum, Quid reddat? An fuit, quotâ empturus:
 nempe usurâ, aut, quoto nummo. An etiam, quo-
 to anno disputat? ut reliqua sint è glossatio. Cer-
 te comparatio (alius cogitet) tale vellet.

67. TVENDVM.] Nec id supernacû additur.
 nam ut emisse satis non est, impendia facienda in iui-
 tionem & fartatecta: sic in beneficiis sine spe fructus

danda; & data, aliis etiam impendiis tuenda. Hoc
 posteriùs exsequitur, cap. XV. ubi concludit ipso isto
 verbo, etiam inutilia beneficia tuenda ac fouen-
 da esse.

68. PETIS.] Meus liber & alij quidam, non pe-
 tis: ex quo acutè Modius, quid temperantia? si quid-
 quam præter ipsas petis, non petis.

CAP. XIII. 69. INCESSVM.] Noster codex,
 incessu, aut, vicesu. Omnino cum eodem Modio scri-
 bendum, vices suas. Mundum vocat calum, ut sæpè.
 quod vicibus volui & reuolui, nemo nescit.

70. SOL DIEM.] Eadem aut similia istis Epiète-
 tus: Sicut sol preces aut blandimenta non exspe-
 ctat, ut exoriatur: sed statim fulget, & ab omni-
 bus salutatur: sic tu nec plausus expecta, nec stre-
 pitus vel laudes, ut benè facias, sed sponte bene-
 facias. & pariter ac Sol carus erit. Hæc in Stobæo, de
 Magistratu.

71. RERV ORDINEM.] Astra illa, & ortum
 atque interitum variare, quæ ab iis pendent.

72. INERTI OTIO.] Hæc ita in meo: voluptates
 est inertis otij facere corpusculum: & quibusdam
 Gruteri libris. Faciam, voluptas est, inertis otij ia-
 cere corpusc. Alij, inertis otio farcire.

73. VMBRA.] Hortorum, vel arborum.
 Propter aquæ riuos, sub ramis arboris altæ.

74. MANGO VÆN.] Quos comit, ornat, for-
 mat. Mango autem propriè, κωτοπόρος, canum edu-
 cator & altor, ut in eruditis Glossis: sed longius
 tractum, & puerorum altores & negotiatores,
 sic dicti.

75. QVIA AD.] Potius, qui ad.

CAP.

A bus profunt. Non est beneficium quod in quæstum mittitur. Hoc dabo, hoc recipiam: auctio est. Non dicam pudicam, quæ amatorem ut incenderet repulit: quæ aut⁷⁶ legem, aut virum timuit. ut ait Ovidius,

Quæ quia non licuit, non dedit, illa dedit.

Non immerito in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præstitit, & ⁷⁷ non sibi. eodem modo qui beneficium ut reciperet dedit, non dedit. Ergo & nos beneficium damus animalibus, quæ aut vñui, aut alimento futura nutrimus? beneficium damus arbutis quæ colimus, ne ficitate, aut immoti & neglecti soli duritiâ, laborent? Nemo ad agrum colendum ex ⁷⁸ æquo & bono venit, nec ad vllam rem, ⁷⁹ cuius extra ipsam fructus est. Ad beneficium dandum non adducit cogitatio auara, nec sordida, sed humana, liberalis, cupiens dare etiam cum dederit, & augere nouis ac recentibus vetera: & non habens propositum, quanto ei qui præstat bono futura sit: alioquin humile est, sine laude, sine gloriâ, prodesse, quia expedit. Quid magnifici est, se amare, sibi parcere, sibi acquirere? Ab omnibus istis vera beneficij dandi cupido auocat: ad detrimentum, ⁸⁰ iniectâ manu, trahit, & vtilitates relinquit, ipso benefaciendi opere latissima.

Numquid dubiû est, quin contraria sit beneficio iniuria? Quomodo iniuriam facere, per se vitanda ac fugienda res est: sic beneficium dare, per se expetenda. illuc turpitudine, contra omnia præmia in scelus hortantia, valet: ad hoc inuitat honesti per se efficax species. Non mentiar, si dixerò, neminem non ⁸¹ amare beneficia sua, neminem non ita compositum animo, ut libentiùs eum videat, in quem multa congeffit: cui non causâ sit iterum dandi beneficij, semel dedisse. quod non accideret, nisi nos ipsa delectarent beneficia. Quam sæpè dicentem audias? *Non sustineo illum deferere, cui dedi vitam, quem è periculo eripui. Rogat me ut causam suam contra homines gratiosos agam. Nolo: sed quid faciam? iam illi semel, iterumque affui.* Non vides inesse isti rei propriam quamdam vim, quæ nos beneficia dare cogit? primum quia oportet, deinde quia dedimus. Cui initio ratio non fuisset præstandi, aliquid ei præstamus ob hoc, quia præstitimus. Adeoque nos ad beneficia non impellit vtilitas, ut & inutilia tueri ac fouere perseueremus, solâ beneficij caritate: cui etiam infelicitèr dato, indulgere, tam naturale, quàm ⁸² liberis prauis.

Iidem isti gratiam referre ipsos fatentur, non quia honestum est, sed quia vtile. quod non esse ita, minore operâ probandum est. Quia quibus argumentis collegimus beneficium dare, per se rem expetendam esse, iisdem etiam hoc colligemus. ⁸³ Fixum est illud, à quo in cetera probationes nostræ exeunt, honestum ob nullam aliam causam, quàm quia honestum sit, coli. Quis ergo controuersiam facere audebit, an gratum esse, honestum sit? Quis non ingratum detestetur hominem, sibi ipsi inutilem? Quid autem cum tibi narratur de eo, qui aduersus summa beneficia amici sui ingratus est, quomodo id fers? vtrum tamquam rem turpem fecerit, an tamquam vtilem rem sibi & futuram omiserit? Puto, nequam hominem existimas: cui pœnâ, ⁸⁴ non cui curatore opus sit. quod non accideret, nisi gratum esse, per se expetendum, honestumque esset. Alia fortasse minùs dignitatem suam præferunt, & an sint honesta, interprete egent: hoc

D CAP. XIV. 76. LEGEM.] *Iuliam.*

77. NON SIBI.] *Id est, quæ non suâ causâ nec conscientie pudica fuit, sed legi aut fame.*

78. ÆQVO ET.] *Significat, non amore æqui honestique agrum & armenta coli: nec aliam rem, ut addit.*

79. CUIVS EXTRA.] *Quæ nempe fructum aliquem, præter se, habet ac donat. Ut, agrum, bouem colo, pasco: quare? ob ipsum? neutrum: sed illum, ob segetem, hunc ob operas. Ergo extra ipsos, fructus eorum est.*

80. INIECTA.] *Ritu iuris veteris, in vindicando vel asserendo, manus iniectio erat. Tibullus:*

Et dicam meus est, iniiciamque manus.

Cicero alibi: Veritas ad se, iniectâ manu, vocat.

CAP. XV. 81. AMARE BENEF.] *Aristoteles de hoc affectu, toto cap. VII. libri IX. Ethic. ad Nicom. & causas inquiri. Vide pulchra. Tetigit & Claudianus argute:*

— meritisque suis obnoxia virtus,

Quos seruauit, amat.

82. LIBERIS.] *Aristoteles loco dicto, vult nos affici erga beneficia, ut artifices erga opus; poetas erga versus.*

CAP. XVI. 83. FIXVM EST.] *Siue magis, esto. Mox etiam, sibi ipsi vtilem: non inutilem.*

84. NON CVRATORE.] *Homines nequam suâ disperdunt, ideoque bonis interdicti curatorem accipiunt. At hic de aliâ nequitia, & quæ pœnam magis, quàm curam requirat.*

expositum est, pulchriusque, quam ut splendor eius dubiè ac parùm luceat. Quid tam A
laudabile, quid tam æqualiter in omnium⁸⁵ animos receptum, quam referre benè me-
XVII. ritis gratiam? Ad hoc, dic mihi, quæ causâ nos perducit? Lucrum? quod qui non
contemnit, ingratus est. Ambitio? & quæ iactatio est soluisse, quod debebas? Metus?
nullus ingrato. huic enim vni rei non posuimus legem, tamquam satis naturâ cauisset.
Quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis iubet: superuacuum est enim, in
quod imus, impelli. quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, quem cum
nascitur trahit: ita ne ad hoc quidem, ut honesta per se petat. Placet suapte naturâ: adeo-
que gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis, probare meliora. Quis est, qui non be-
neficus videri velit? qui non inter scelera & iniurias opinionem bonitatis affectet? qui
non ipsis quæ impotentissimè fecit, speciem aliquam induat recti? velit quoque & iis vi-
deri beneficium dedisse, quos læsit?⁸⁶ Gratiâ itaque agi sibi ab his, quos afflixere, patiun-
tur: bonosque se ac liberales fingunt, quia præstare non possunt. Quod non facerent,
nisi illos honesti & per se expetendi amor cogeret moribus suis opinionem contrariam B
querere, & nequitiam abdere; cuius fructus concupiscitur, ipsa verò odio pudoriq; est:
nec quisquam tantum à naturali lege descivit, & hominem exuit, ut⁸⁷ animi causâ ma-
lus sit. Dic enim cuilibet ex istis, qui raptu viuunt, an ad illa quæ latrocinii & furtis con-
sequuntur, malint ratione bonâ peruenire? Optabit ille, cui grassari &⁸⁸ transeuntes
percutere quæstus est, potius illa inuenire, quam eripere. Neminem reperies, qui non
nequitie præmiis, sine nequitia, frui malit. Maximùm hoc habemus naturæ meritum,
quod virtus in omnium animos lumen suum⁸⁹ præmittit: etiam qui non sequuntur il-
lam, vident. XVIII. Vt scias, per se expetendam esse grati animi affectionem, per se fu-
gienda res est ingratum esse: quoniam nihil æquè concordiam humani generis dissociat
ac distrahit, quàm hoc vitium. Nam quo alio tuti sumus, quàm quod inutuis iuamur
officiis? hoc vno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est, beneficio-
rum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? præda animalium & victimæ, ac vilis-
simus & facillimus sanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium C
est. Quæcumque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt: hominem im-
becillitas cingit: non vnguium vis, non dentium, terribilem ceteris fecit: nudum & in-
firmum, societas munit. Duas res dedit, quæ illum⁹⁰ obnoxium ceteris, validissimum
facerent, rationem & societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum
potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit: societas terris genitum, in
alienæ naturæ transmisit imperium, & dominari etiam in mari iussit. Hæc morborum
impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit: hæc fortes
nos facit, quod licet contra fortunam⁹¹ aduocare. Hanc tolle: & vnitatem generis hu-
mani, quâ vita sustinetur, scindes. tolletur autem, si efficies, ut ingratus animus non per
se vitandus sit, sed quia aliud illi timendum est. Quàm multi sunt enim, quibus ingratis
esse

85. ANIMOS.] *Meus hæc scribit, in omnium ad omnes receptos. Puto fuisse, tam æqualiter ad omnes receptum. Reliqua verba, ab hesitantia, recepta & geminata sunt.*

CAP. XVII. 86. GRATIAS.] *Exemplum in Taciti Agricola, quem cum Domitianus proconsulatu priuasset: agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii inuidiâ.*

87. ANIMI CAUSSA.] *Non audiendus Pincianus, qui inani causâ, diuinat. Animi causâ, Latinis valet, per iocum, per voluptatem, animi recreandi causâ. Plautus: Præterea aliquantum, animi causâ, in deliciis disperdidit. Cæsar VII. Gallic. Quid Romanos in illis munitionibus, animine causâ cottidie exerceri putatis?*

88. TRANSEUNTES.] *Pro hac voce, mei libri peruenire habent. nihil eruo.*

89. PRÆMITTIT.] *Aliàs, permittit: nec male.* D

CAP. XVIII. 90. OBNOXIVM.] *Ab Erasmi coniecturâ est, nam libris abest ferè illud, ceteris. Meus habet: obnoxio validissimum, & aliquot Gruteri. Facio, ex obnoxio validissimum: neque aliter fuit. Obnoxius, qui alteri quasi subiectus, eius verens, & ab eo pendens. Talis per se homo: sed duo illa, ex metuente fecerunt metuendum.*

91. ADVOCARE.] *Aduocare alios in auxilium, & solatium? an Aduocare metaphoricòs dictum, stare & causam agere? Ita de Clem. I. cap. IX. Aded nihil facilius potes, quàm contra Cæsarem aduocare? Sed quid, inquires, societas contra fortunam? vel quia rationibus & exemplis mutuò docemur; vel quia, ut dixi, auxilia siue solatia inuicem poscimus, & impetramus.*

CAP.

- A esse tutò licet? denique ingratum voco, quisquis metu gratus est. Deos nemo fanus⁹² timet. Furor est enim metuere salutaria: nec quisquam amat, quos timet. Tu denique Epicure Deum inermem facis. omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, & ne cuiquam metuendus esset, proiecisti ipsum extra⁹³ metum. Hunc igitur septum ingenti quodam & inexplicabili⁹⁴ muro, diuisumque à contactu & à conspectu mortalium, non habes quare verearis: nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia est. In medio⁹⁵ interuallo⁹⁶ huius & alterius cæli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum supra se circaque se cadentium euitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus. Atqui hunc vis videri colere, non aliter quàm parentem: grato, vt opinor, animo: aut si non vis videri gratus, quia nullum habes illius beneficium, sed te atomi & istæ⁹⁷ micæ tuæ fortè ac temerè conglobauerunt, cur colis? Propter maiestatem, inquis, eius eximiam, singularemque naturam. Vt concedam tibi: nempe hoc facis nullâ spe, nullo pretio inductus. Est ergo aliquid per se expetendum, cuius te ipsa dignitas ducit: id est honestum. Quid est autem honestius, quàm gratum esse? huius virtutis materia tam latè patet, quàm vita. Sed inest, inquit, huic bono etiam vtilitas aliqua. cui enim⁹⁸ virtuti non inest? sed id propter se expeti dicitur, quod quamuis habeat aliqua extra se comoda, sepositis quoque illis ac remotis, placet. Prodest gratum esse: ero tamen gratus, etiam si noceat. Qui gratus est, quid sequitur? vt hæc res illi alios amicos, alia beneficia conciliet? Quid ergo si quis sibi offensas concitaturus est? si quis intelligit, adeò per hoc se nihil consecuturum, vt multa etiam ex reposito acquisitoque perdenda sint: num libens in detrimenta descendet? Ingratus est, qui in referendâ gratiâ⁹⁹ secundum datum videt, qui sperat cum reddit. Ingratum voco, qui ægro affidet, quia testamentum facturum est, cui de hereditate, aut de legato vacat cogitare. Faciat licet omnia, quæ facere bonus amicus & memor officij debet, si animo eius obuersatur spes, si captator est, & ¹⁰⁰hamum iacit: ¹⁰¹vt aues, quæ laceratione corporum aluntur, lassâ morbo pecora, & casura è proximo speculantur; ita hic imminet morti, & circa cadauer volat.
- C Gratus animus ipsâ virtute propositi sui capitur. Vis scire hoc ita esse, nec illum utili-¹⁰²tate corrumpi? Duo sunt genera grati hominis. dicitur gratus, qui aliquid pro eo quod acceperat, reddit. hic fortasse ostentare se potest: habet quod iactet, quod proferat. dicitur gratus, qui bono animo accepit beneficium, bono debet. Hic intra conscientiam clusus est. quæ illi contingere potest vtilitas ex affectu latenti? Atqui hic, etiam si vltra facere nihil potest, gratus est: amat, debet, referre gratiam cupit. Quidquid vltra desideras, non ipsi deest. Artifex est etiam, cui ad exercendam artem instrumenta non suppetunt: nec minùs canendi peritus, cuius vocem exaudiri fremitus obstrepentium non finit. Volo referre gratiam. post hoc aliquid superest mihi, non vt gratus, sed vt ¹⁰³solutus sim. Sæpè enim & qui gratiam retulit, ingratus est: & qui non retulit, gratus. Nam

CAP. XIX. 92. TIMET.] *Epist. CXXIII.* Superstitio error infanus est. amandos timet; quos colit, violat.

D 93. METVM.] *Ita omnis scripta lectio. ex quo faciebam, metam. Extra limitem eum abiicisti, inquit, & extra mundi hoc spatium, vt nihil ei cum mundo esset. Lib. VII. infra: Alius diis obijcit neglegentiam nostri, alius illos extra mundum suum proijcit. Iterum epist. XC. Non de eâ philosophiâ loquor, quæ ciuem extra patriam posuit, extra mundum deos. Itaque bene pro sententiâ hic legit & edidit Muretus, extra mundum: sed nos religiosè scripturam sectati sumus.*

94. MVRO.] *Vallo totius mundi.*

95. INTERVALLO.] *Quod ipse Epicurus περὶ τοῦ ὁρίωνος, Cicero aliique Intermundium reddiderunt: nempe spatium inter mundos. Quintilianus, lib. VII. cap. IV. Epicurus Deo humanam formam, locumque inter mundos dedit.*

96. HVIUS ET ALTER.] *Imò plurium calorum. quia infinitos ille Mundos constituebat.*

97. MICÆ.] *Ita verit Atomos. ex quibus non corpus hoc solum, sed ipsa anima Epicuro. Vide epistolam eius ad Herodotum, in Laertio.*

CAP. XX. 98. SECYNDVM DATVM.] *Alterum sequensq. donum.*

99. SI CAPTATOR.] *Assentior Grutero, particulam si, delenti.*

100. HAMVM.] *Plinius: Nōne vt regum, ita Cæsarum munera, illitos cibus hamos, opertos prædâ laqueos, æmulabantur? Idem in Epistolis Hamata munera, eodem sensu.*

101. VT AVES.] *Vultures & corui. Apposita imago, & eadem vitur epist. XCV. Vultur est, cadauer exspectat. Vide.*

CAP. XXI. 102. SOLVTVS.] *Arguta hæc distinctio. animo grati sumus, re soluius.*

d 3

103. VNA

ut omnium aliarum virtutum, ita huius, ad animum tota aestimatio redit. hic si in offi- A
cio est, quidquid defuit, fortuna peccat. Quomodo est disertus etiam qui tacet, fortis
etiam qui compressis manibus, vel & alligatis: quomodo gubernator etiam qui in sicco
est, quia consummata scientia nihil deest, etiam si quid obstat quò minus se utatur: ita
gratus est, etiam qui vult tantum, nec habet huius voluntatis suae vllum alium, quàm
se testem. Imò amplius adiciam. est aliquando gratus, etiam qui ingratus videtur, quem
mala interpret opinio in contrarium traducit. Hic quid aliud sequitur, quàm ipsam
conscientiam? quæ etiam obruta delectat, quæ concioni ac famæ reclamationat, & in se om-
nia reponit, & cum ingentem ex alterâ parte turbam contrâ sentientium aspexit, non nu-
merat suffragia, sed ¹⁰³ vnâ sententiâ vincit. Si verò bonam fidem perfidiæ suppliciis af-
fici videt, non ¹⁰⁴ descendit è fastigio, sed supra pœnam suam consistit. Habeo,
inquit, quod volui, quod petij. Non pœnitet, nec pœnitebit, nec vllâ iniquitate me eò
fortuna perducet, ut hanc vocem ¹⁰⁵ audiam, *Quid mihi volui? quid mihi nunc prodest bona
voluntas?* Prodest & in equuleo, prodest & in igne. qui si singulis membris admouetur, B
& paullatim viuum corpus circumbeat: licet ipsum ¹⁰⁶ corpus plenum bonâ conscientia
stillet: placebit illi ignis, per quem bona fides collucebit. Nunc quoque illud argumen-
tum, quamuis dictum iam, reducatur. Quid est quare grati velimus esse, cum morimur?
quare singulorum perpédamus officia? quare id agamus in omnem vitam nostram me-
moriâ decurrente, ne cuius officij videamur obliti? Nihil iam superest, quò spes porri-
gatur. in illo tamen ¹⁰⁷ cardine positi, abire è rebus humanis quàm gratissimi volumus.
Est videlicet magna in ipso opere merces rei, & ad alliciendas mentes hominum ingens
honesti potentia: cuius pulchritudo animos circumfundit, & delinitos admiratione lu-
minis ac fulgoris sui rapit. At multa hinc commoda oriuntur. Et tutior est vita melio-
ribus, ¹⁰⁸ amorque & ¹⁰⁹ secundum bonorum iudicium, ætasque ¹¹⁰ securior, quam in-
nocentia, quam grata mens prosequitur. Fuiſſet enim iniquissima rerum natura, si hoc
tantum bonum miserum, & anceps, & sterile fecisset. Sed illud intueri, an ad istam vir-
tutem, quæ sapè tuto ac facili aditur, etiam per saxa, & rupes, & feris ac serpentibus ob- C
sessum iter, fueris iturus. Non ideo per se non est expetendum, cui aliquid extra
quoque emolumenti adhæret. ferè enim pulcherrima quæque, multis & aduenticiis co-
mitata sunt dotibus: sed illas trahunt, ipsa præcedunt. Num dubium est, quin hoc hu-
mani generis domicilium, circuitus solis ac lunæ, vicibus suis ¹¹¹ temperet? quin alterius
calore alantur corpora, terræ relaxentur, immodici humores comprimantur, alligantis
omnia hiemis tristitiâ frangatur: alterius tepore efficaci & penetrabili rigetur ¹¹² ma-
tunitas frugum? quin ad huius cursum ¹¹³ fecunditas humana respondeat? quin ille an-
num obseruabilem fecerit circumactu suo; hæc mensem, minoribus se spatiis flectens?
Ut tamen detrahas ista, non erat ipse sol idoneum oculis spectaculum, dignusque adora-
ri, si tantum præteriret? non erat digna suspectu luna, etiam si otiosum sidus transcurrere-
ret? Ipse ¹¹⁴ mundus quoties per noctem ignes suos fudit, & tantum stellarum innume-
rabi-

103. VNA SENT.] *Suâ.*104. DESCENDIT.] *Non submittit se, nec dei-*
*citur.*CAP. XXII. 105. AUDIAM.] *Potius, audiat:*
*sempe ipsa Fortuna.*106. CORPVS.] *Redundat.*107. CARDINE.] *Vbi salus & vita vertitur. An*
magis allusum ad agrorum cardines siue limites, quia
sequitur de abeundo? Ita esset, in extremo limite
*illo positi.*108. AMORQUE.] *Hæc omnia, id est septena*
circiter verba ordine, reddidi contextui ex meis
libris: nec ausim hercules delere. Germana viden-
*tur & pura.*109. SECVNDVM.] *Fauens, propitium: ut, se-*
*cunda fama.*110. SECVRIOR.] *Atqui iam præiuit, tutior. D*
*Dubito.*CAP. XXIII. 111. TEMPERET.] *De eâ*
temperie caloris humorisq, quam duo hæc astra con-
cilient, & sic generent ac producant; præter alios,
*Aristoteles IV. De generat. animal. cap. vlt.*112. MATVRITAS.] *Nam tepido humore suo re-*
solvit, & quasi putrefacit: omitto, quòd crescere fa-
ciat, & ad augmenti finem venire Cicero de Nat.
deor. II. Multaq; ab eâ (Lunâ) manant & fluunt,
quibus & animantes alantur, augescantque: &
pubescant, maturitatemque assequantur, quæ
*oriuntur è terrâ.*113. FECVNDITAS HVM.] *Ad Lunares menses*
*partuum ratio respondet.*114. MVNDVS.] *Calum.*

115. TACI-

A rabilium refulfit, quem non intentum in se tenet? quis sibi illa, tunc cū miratur, prodesse cogitat? Adspice ista¹¹⁵ tacito supernè caelo labentia, quemadmodum velocitatem suam sub specie stantis atque immoti operis abscondant. Quantum istà nocte, quam tu in numerum ac discrimen dierum obseruas, agitur? quanta rerum turba sub hoc silentio euoluitur? quantam factorum seriem certus¹¹⁶ limites¹¹⁷ adducit? Ista quæ tu non aliter, quàm in decorem sparsa consideras, singula in opere sunt. Nec enim est, quòd existimes septem sola discurrere, cetera hære. paucorum motus comprehendimus: innumerabiles verò, longiusquæ à conspectu nostro seducti¹¹⁸ dij, eunt, redeuntque. Et ex his qui oculos nostros patiuntur, plerique¹¹⁹ obscuro gradu pergunt, & per occultum aguntur. Quid ergo? non caperis tantæ molis aspectu, etiam si te non regat, non custodiat, non foueat, generetque, ac spiritu suo riger? Quemadmodum hæc cū xxiv. primum vsum habeant, & necessaria¹²⁰ vitaliaque sint, maiestas tamen eorum totam mentem occupat: ita omnis virtus, & in primis illa grati animi, multum quidem præstat, sed non vult ob hoc diligi: amplius quiddam in se habet, nec satis ab eo intelligitur, à quo inter vtilia numeratur. Gratus est, quia expedit? ergo & quantum expedit. Non recipit sordidum virtus amatorem: ¹²¹ soluto ad illam sinu veniendum est. Ingratus hoc cogitat: *Volebam gratiam referre, sed timeo impensam, timeo periculum, vereor offensam: faciam potius, quod expedit.* Non potest eadem ratio & gratum facere, & ingratum. Vt diuersa illorum opera, ita inter se diuersa proposita sunt. Ille ingratus est, quamuis non oporteat, quia expedit: hic gratus est, quamuis non expediat, quia oportet. Propositum est nobis¹²² secundum rerum naturam viuere, & deorum xxv. exemplum sequi: dij autem quodcumque faciunt, in eo nihil præter ipsam faciendi rationem sequuntur. nisi fortè existimas illos fructum operum suorum ex fumo extorquere, & turis odore percipere. Vide quanta quotidie moliantur, quanta distribuunt, quantis terras fructibus impleant, quàm opportunis & in omnes oras ferentibus ventis maria permoueant, quantis imbribus repente deiectis solum molliant, venasque fontium arentes reintegrent, & infuso per occulta nutrimento renouent. Omnia ista sine mercede, sine vllò ad ipsos perueniente commodo, faciunt. Hæc quoque nostra ratio, si exemplari ab suo non aberrat, seruet, ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat vllum venale esse beneficium: gratuitos habemus deos. Si deos, inquit, imitaris, da & ingratis be- xxvi. neficia. Nam & sceleratis sol oritur, & piratis patent maria.¹²³ Hoc loco interrogant, an vir bonus daturus sit beneficium ingrato, sciens ingratum esse? Permite mihi aliquid interloqui, ne interrogatione insidiosâ capiamur. Duos ex constitutione Stoicâ accipe ingratos. alter ingratus, quia¹²⁴ stultus est. Stultus, etiam malus est: qui malus est, ¹²⁵ nullo vitio caret: ergo & ingratus est. Sic omnes malos dicimus, intemperantes, avaros, luxuriosos, malignos: non quia ista omnia singulis magna & nota vitia sint, sed quia esse possint: & sunt, etiam si latent. Alter est ingratus, qui à vulgo dicitur, in hoc vitium naturâ pronus & propensus. Illi ingrato, qui si hac culpâ non caret, quomodo nullâ

D 115. TACITO.] *At mei libri, tanto supernè cœtu. puto verè. Magnus ibi cœtus in superiore caelo astrorum, & sine numero numerus.*

116. LIMES.] *Zodiacum dicit. per quem errantia sidera feruntur: & ex eorum positu hæc inferiora, ipsosque homines, ingenia & mores formari, Chaldei censuerunt.*

117. ADDUCIT.] *Veteres, educit.*

118. DIJ EVNT.] *Stoicum est. qui sidera faciebant Deos. Nos in Physiol. II. Diff. XIV.*

119. OBSCURO GRADU.] *Quem observatio nondum comprehendit. moueri videmus, quo modo aut lege, nescimus.*

CAP. XXIV. 120. VITALIAQVE.] *Vitam dent, & ad tuendam eam faciant.*

121. SOLVTO.] *Aperto, ad dandum parato.*

CAP. XXV. 122. SECUNDVM RER.] *Perpetuum dogma Stoicum, τέλος ἐστὶ τὸ ὁμολογεῖν ὡς τῇ φύσει ζῆν: Finem esse, conuenienter nature viuere. Vide Manud. II. Dissert. XIV.*

CAP. XXVI. 123. HOC LOCO.] *Dissert respondere ad obiectionem, alia interfert. ad illam autem, cap. XXVIII.*

124. STULTVS.] *Opponunt Sapienti. & Stoicâ suâ linguâ omnem malum, & omne vulgus, sic appellant. Consentire cum hoc dogmate (ut multis aliis) Sophocles videtur:*

ἡδὲ μενορία
Μάλιν' ἀδελφὴ τῆς προηρίας ἔφυ:

— verum Amentia

Soror videtur maximè esse Malitiæ.

125. NULLO VITIO.] *Plutarchus de commun. notion. contra Stoicos, carpit, ὅτι πάντα ἐπίσης κα-*

nullâ caret, dabit beneficium vir bonus. nulli enim dare poterit, si tales homines sub- A
mouerit. Huic ingrato, qui beneficiorum fraudator est, & in hanc partem procubuit
animo, non magis dabit beneficium, quàm decoctori pecuniam credet, aut depositum
committet ei, qui iam pluribus abnegauit. Timidus dicitur aliquis, quia stultus est: &
hoc quidem malos sequitur, quos indiscreta & vniuersa vitia circumstant. dicitur timi-
dus propriè, naturâ etiam ad inanes sonos pavidus. Stultus omnia vitia habet, sed non
in omnia naturâ pronus est. alius in auaritiam, alius in luxuriam, alius in petulantiam
inclinantur. Itaque errant illi, qui interrogant Stoicos: Quid ergo? Achilles timi-
dus est? Quid ergo? Aristides, cui iustitia nomen dedit, iniustus est? Quid ergo? & Fa-
bius, qui cunctando restituit rem, temerarius est? Quid ergo? Decius mortem timet?
Mucius proditor est? Camillus desertor? Non hoc dicimus, si omnia vitia esse in om-
nibus, quomodo in quibusdam singula eminent: sed malum ac stultum nullo vitio va-
care. nec audacem quidem timoris absoluius: ne prodigum quidem auaritiâ libera-
mus. Quomodo homo omnes sensus habet, nec ideo tamen omnes homines aciem ha- B
bent Lynceo similem: sic qui stultus est, non tam acris & concitata habet omnia, quàm
quidam quædam. Omnia in omnibus vitia sunt: sed non omnia in singulis exstant.
Hunc natura ad auaritiam impellit: hic libidini, hic vino deditus est: aut si nondum
deditus, ita formatus, vt in hoc illum mores sui ferant. Itaque vt ad propositum reuer-
tar, nemo non ingratus est, qui malus est: habet enim omnia nequitie femina: tamen
propriè ingratus appellatur, qui ad hoc vitium vergit. huic ergo beneficium non dabo.
Quomodo malè filie consulit, qui illam contumelioso & sæpè ¹²⁶ repudiato collocauit:
quomodo malus paterfamilias habebitur, qui ¹²⁷ negotiorum gestorum damnato, pa-
trimonij sui curam mandauerit: quomodo dementissimè testabitur, qui tutorem filio
reliquerit, pupillorum spoliatores: sic pessimè beneficia dare dicetur, quicumque in-
gratos eligit, in quos peritura conferat. ¹²⁸ Dij quoque, inquit, multa ingratum tri-
buunt. Sed illa bonis parauerant: contingunt autem etiam malis, quia separari non
possunt. Satiùs est autem, prodesse etiam malis propter bonos, quàm bonis deesse pro- C
pter malos. Ita, quæ refers, diem, solem, hiemis æstatisque cursus, & media veris au-
tumnique temperamenta, imbres, & fontium haustus, ventorum statos flatus, pro vni-
uersis inuenerunt: excerpere singulos non potuerunt. Rex honores dignis dat, ¹²⁹ con-
giarium & indignis: ¹³⁰ Frumentum publicum tam fur quàm periurus & adulter acci-
piunt, & sine delectu morum, quisquis ¹³¹ ciuis est. cùm aliquid est, quod tamquam
cui, non tamquam bono datur, ex æquo boni ac mali ferunt. Deus quoque quædam
in vniuersum humano generi dedit, à quibus excluditur nemo. nec enim poterat fieri,
vt ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis: commune autem bonum erat

καὶ, καὶ ἀδίκως, καὶ ἀπίστως, καὶ ἀφρονῶς, τὰς
μὴ σοφῶς ἀποφαινοῦνται: quod omnes ex æquo
malos, & iniustos, & infidos, & dementes sta-
tuunt, qui non sunt sapientes. Imò etiam τὰς
ἀφρονόμοινας, siue proficientes, id est seipsos ha-
bent in eadem classe. Nos plenè in Manud. III.
Diff. xx.

CAP. XXVII. 126. REPUDIATO.] De
viro, cuius vxor repudiū misit. & ita Marcellus Ictus,
aliique. Causa autem repudiij præt, quod contu-
meliosus, & mala tractationis damnandus.

127. NEGOT. GEST.] Titulus in Digestis &
Codice, De negotiis gestis. Sunt, qui res litèsq̃ue
alienas administrant: & in eos hæc actio, si malâ cu-
râ aut fide.

CAP. XXVIII. 128. DIJ QVOQVE.] Hæc
nunc ad obiectiunculam, suprà positam tantum. Pul-
chra autem, ita me Deus, & philosophica.

129. CONGIARIUM.] A congio, quæ liquidorum
mensura. Solent autem antiquitus dari in populum

tot olei congij, aut vini. Inde nomen ductum lon-
gius, ad quasuis, etiam pecunia, donationes: sed ma-
ximè Principum, aut publicas.

130. FRUMENTVM.] Quod in vnâ urbium,
singulari inuento, Roma dabatur è publico, in ple-
bem tenuiorem. Scripsi affatim i. Elector. & nuper
in Admirandis.

131. CIVIS EST.] Mei ita libri, & apta senten-
tiâ: quia extra ciues non dabatur. nemo admitteba-
tur peregrinus. Tamen alij testantur in suis legi, in-
cisos est. Quod cum Gruero haud spernam: firmetq̃
Plinius, in Panegyrico: Omnes tamen antequam
te viderent, recipi, incidi iussisti, vt iam inde ab
infantiâ parentem publicum, munere educatio-
nis, experirentur. Apparet igitur inscriptos, imò
verò incisos siue insculptos in tabulis. Pincianus
autem legi volebat, quisquis in censu est: nec id
malè, quia recensensus fieri solet (ita Suetonius ap-
pellat) & identidem purgari ea tabula, aliisque
suffici.

A patere commercium maris, & regnum humani generis relaxari. Nec poterat lex casuris imbris dici, ne in malorum improborumque rura defluerent. Quædam in medio ponuntur. Tam bonis quàm malis conduntur vrbes: monumenta ingeniorum, & ad indignos peruentura, publicavit editio: medicina & sceleratis opem¹³² ministrat. Compositiones remediorum salutarium nemo suppressit, ne sanarentur indigni. In his exigentiam censuram, & personarum æstimationem, quæ separatim tamquam digno dantur: non in his, quæ promiscuè turbam admittunt. Multum enim refert, vtrum aliquem non excludas, an eligas.¹³³ Ius fori omnibus dicitur: pace etiam homicidæ fruuntur: sua repetunt, etiam qui aliena rapuerunt. Percussores, & domi ferrum exercentes, murus ab hoste defendit: legum præsidio, qui plurimum in illas peccauerunt, proteguntur. Quædam non poterant certis contingere, nisi vniuersis darentur. Non est itaque quod de istis disputes, ad quæ¹³⁴ publicè inuitati sumus: illud quod iudicio meo ad aliquem peruenire debet, ei quem ingratus sciam, non dabo. Ergo, inquit, nec consilium deliberaui

xxix.

B dabis ingrato, nec aquam haurire permittes, nec viam erranti monstrabis? an hæc quidem facies, sed nihil donabis? Distinguaui istud: certè tentabo¹³⁵ distinguere. Beneficium, est opera utilis: sed non omnis opera utilis, beneficium est. Quædam enim tam exigua sunt, vt beneficij nomen non occupent. Duæ res coire debent quæ beneficium efficiant. Primum, rei magnitudo. quædam enim sunt infra huius nominis mensuram. Quis beneficium dixit, quadram panis, aut stipem æris abiecti, aut ignis accendendi factam potestatem? & interdum ista plus prosunt, quàm maxima: sed tamen vilitas sua illis, etiam vbi tempore facta sunt necessaria, detrahit pretium. Deinde quod potissimum est, oportet accedat: vt eius causâ faciam, ad quem volebam peruenire beneficium: dignumque cum iudicem, & libens id tribuam, percipiensque ex munere meo gaudium. quorum nihil est in istis, de quibus loquebamur. Non enim tamquam dignis illa tribuimus, sed negligenter tamquam parua: & non homini damus, sed¹³⁶ humanitati. Aliquando daturum me etiam indignis quædam non negauerim, in ho-

xxx.

C nozem aliorum: sicut in petendis honoribus quosdam turpissimos nobilitas industriis, sed¹³⁷ nouis, prætulit. Non sine ratione, sacra est magnarum virtutum memoria: & esse plures bonos iuuat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat.¹³⁸ Ciceronem filium¹³⁹ quæ res consulem fecit, nisi pater? ¹⁴⁰ Cinnam nuper quæ res ad consulatum recepit ex hostium castris? quæ¹⁴¹ Sextum Pompeium, ¹⁴² aliosque Pompeios, nisi vnius viri magni-

132. MINISTRAT.] Mei & quidam alij, monstrat.

133. IUS FORI.] Libri, ius & fori: & quibusdam vox, omnibus abest. Itaque Claudius Puteanus Senator acutè: Ius & furi dicitur.

134. PVBLICE IVVIT.] Vt ad Solem, æstatem, imbres, fontes: & quæ alia beneficia Natura in publico & promiscuo offert.

D CAP. XXIX. 135. DISTINGVERE.] Possit abesse.

136. HVMANITATI.] Ex Aristotelis dicto haustum, qui culpatus, quod improbo aliquid dedisset. Οὐ τὸ ἀνδρωπῶ, φησὶν, ἀλλὰ τὸ ἀνδρωπῶν. Ipsa verba Seneca reddidit: at Herodes Atticus apud Agellium, pulchrè immutauit, in re pari: Demus, inquit, huic aliquid æris, cuiusmodi est, tamquam homines, non tamquam homini.

CAP. XXX. 137. NOVIS.] Ita dicti Romanis, qui à se oriuntur, quig, lucem & imagines maiorum non haberent. Vno verbo, qui in vetere famâ & notitiâ non essent.

138. CICERONEM F.] Quem deuictò statim Antonio collegam in Cōsulatu Augustus cepit. Quid? Ciceroni defuncto hoc tribuens, an & sic Antonio in-

sultans? Rem ipsam in Plutarcho habes, Appiano, Plinio libro xxii. cap. vi. & Dione, actis anni dccxxiv. ex quo item discas, susceptum dumtaxat Consulatum fuisse, idq, in extremâ parte anni.

139. QVÆ RES.] Nam virtutes omnes aberant: stupor & vitia aderant. Seneca pater in Suasoriâ ultimâ: Homo qui nihil ex paterno ingenio habuit, præter urbanitatem. Scriptor vetus, apud Sidonium, lib. vii. epist. xiv. Filium M. Ciceronis populus Romanus non agnoscebat loquentem. Præterea ebriosus ad summum: de quo Plinius, aliique.

140. CINNAM.] Qui & ipse Cn. Pompeij, ex filiâ, nepos. Vide De Clem. i. cap. ix. Fuit verò iste Cn. Cornelius Cinna Magnus, ordinarius Consul anno vrbs dclviii.

141. SEXT. POMPEIVM.] Quem igitur? illum notum ac famosum, Cnei filium? vix opinor. designatus enim Consul fuit, pace cum eo à Triumviris factâ, anno dccxv. sed designatus tantum, & bello mox coorto victus atque interfectus. Itaque magis est intellegi Sex. Pompeium Sex. F. qui consul fuit anno dccxviii. Quo nomine & alius item Consul cum Sex. Apuleio, anno quo Augustus obiit, dclxvii.

142. ALIOSQVE POMP.] Non sanè filios illius Magni,

magnitudo? tanta quidem, vt fatis altè omnes suos etiam ruina eius attolleret. Quid A
 nuper ¹⁴³ Fabium Persicum, cuius osculum ¹⁴⁴ etiam impuri vitabant, sacerdotei non
 in vno collegio fecit, nisi Verrucosi, & Allobrogici, & illi trecenti, qui hostium incur-
 sioni pro rep. vnam domum obiecerant? Hoc debemus virtutibus, vt non præsentes
 solum illas, sed etiam ablatas è conspectu colamus. Quomodo illæ id egerunt, vt non
 in vnam ætatem prodesse, sed beneficia sua etiam post ipsas relinquerent: ita & nos
 non vnâ ætate grati sumus. Hic magnos viros genuit, dignus est beneficiis, qualiscum-
 que est. dignos dedit. Hic egregiis maioribus ortus est: qualiscumque est, sub vmbra
 suorum lateat. Vt loca sordida percussu solis illustrantur, ita inertes maiorum suorum
 luce resplendeant. ¹⁴⁵ Excusare hoc loco, mi Liberalis, deos volo. Interdum enim
 solemus dicere: Quid sibi voluit prouidentia, quæ ¹⁴⁶ Aridæum regno, imposuit? Illi
 putas hoc datum? patri eius datum est, & fratri. Quare ¹⁴⁷ C. Cæsarem orbi terrarum
 præfecit, hominem humani sanguinis audissimum, quem non aliter fluere in conspectu
 suo iubebat, quàm si ore excepturus esset? Quid? ergo tu illi hoc datum existimas? patri B
 eius ¹⁴⁸ Germanico datum, datum ¹⁴⁹ auo, ¹⁵⁰ proauoque, & ante hos aliis non minùs
 claris viris, etiam si priuati paresque aliis vitam exegerunt. ¹⁵¹ Quid tu, cum Mamercum
 Scaurum Cos. faceres, ignorabas ancillarum suarum menstruum ore illum hiantem
 exceptare? Numquid enim ipse dissimulabat? numquid purus videri volebat? Referam
 dictum tibi eius in se, quod circumferri memini, & ipso præsente laudari. Pollioni Asi-
 nio iacenti, obscæno verbo vsus, dixerat se facturum id quod pati malebat. & cum Pol-
 lionis attractiorem vidisset frontem: *Quidquid*, inquit, *mali dixi, mihi & capiti meo*. Hoc
 dictum suum ipse narrabat. Hominem tam palàm obscænum, ad fasces, & ad tribunal
 admisisti? nempe dum veterem illum Scaurum, ¹⁵² senatus principem cogitas, indignè
 fers sobolem eius iacere. ¹⁵³ Deos videre est, vt alios indulgentiùs tractent, propter paren-

Magni, ne erres: sed gentis eiusdem, si non familiae, vt vnum è iam dictis, & Cn. Pompeium, qui inter suspectos Consules anno DCCXXIII. fragmentis Capitolinis. Sed & postea, sub Tiberio alijs. Nam duæ aut tres fuere (ipse Paterculus dubitat) Pompeiorum familiae: omnes tamen eius nominis prouecti, ob vnum illud nomen, vt hic noster.

143. FABIVM PERSI.] Dixi aliquid supra, lib. II. cap. XXI. Adde ad ista, Iuuenalis versus:

Cur Allobrogicis, & magnâ gaudeat arâ,
 Natus in Herculeo Fabius Iare:
 & quæ de molliiæ eius deinde addit. Nam hunc tangit.

144. ETIAM IMPVRI.] Satis audacter hæc & plura, è merâ coniecturâ, edidit Muretus. Scripti quidam, etiam impediret viri vota boni. Meorum vnus, etiam impodici deuitabam. ex quo faciebam, etiam impudici deuitabant. Quid si, vt podicem, deuitabant? vt discrimen inter sedam fetidamq; illam partem non faciat, & os hoc spurcum? Posses ex alterâ scripturâ: cuius osculi, etiam impudici, virus vitabant. Ipsi obscæni & impudicitiam professi, virus illud oris fugiebant.

CAP. XXXI. 145. EXCVSARE.] Etsi pleraque laudabilia & notanda in nostro: tamen hic locus inter eximios, & sapientiæ altæ: vnâ cum Cap. sequenti.

146. ARIDÆVM.] Libri exarchideum. sed habeamus pro vero editum: & fuit Aridæus frater Alexandri Magni, matre impari.

147. C. CÆSAREM.] Caligulam. verè natum ad reliquias Romani sanguinis hauriendas.

148. GERMANICO.] Magno simul & amabili viro: cui vitam & imperium, dii non dederunt, ne Romanis iterum darent.

149. AVO.] Druso Germanico, Tiberij fratri. quem Tacitus appellat, breues, & infaustos populi Romanorum amores.

150. PROAVOQVE.] Tib. Claudio, Linia marito priori: qui tamen famâ aut factis non nimis illustris. Sed magis est, communiter Proauum intellegi, siue Proavos (& eo numero legi hic mallem) Claudie gentis.

151. QVID TV.] Hæc directio sermonis non ad ipsum Liberalem: sed ad Prouidentiam est: cuius hæc opera. nisi aliquis, Quid tum legit, & mox, faceret, aliâq; pariter mutat. Sed de ipso homine, Tacitus breuiter VI. Annali: Mamercus Scaurus, insignis nobilitate & orandis causis, vitâ probrobus. Certe probrobus: sed etiâne eloquens? Ita, & laudat iterum ab eâ parte Tacitus III. Annal. Scaurus oratorum eâ ætate vberimus erat. Seneca pater lib. I. Controu. Scaurus non tantum disertissimus homo, sed venustissimus. Et ex professo præfatione libri Decimi. At de impuritate eius, etiam Tertullianus commemorat, de Pallio: ipse autem sub Tiberio, etsi alio crimine, periit, & familia Scaurorum in eo est extincta. Suasoria II.

152. SENATVS PRINCIPEM.] De quo Cicero, Asconius, alijs.

CAP. XXXII. 153. DEOS VIDERE EST.] A Mureto commation, contra omnes libros. in quibus consensu, Deos verisimile est. Fortè: Deos tueris? simile est vt. Ita supra, Deos excusare volo. Vel lege: Deos videre similiter est.

154. IN

A parentes auosque, alios propter futuram nepotum pronepotumque, ac longè sequentium posterorum indolem. Nota est enim illis operis sui series. omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia ¹⁵⁴ in aperto semper est: nobis ex abdito subit. & quæ re-pentina putamus, illis prouisa veniunt ac familiaria. Sint hi reges, quia maiores eorum non fuerunt, ¹⁵⁵ quia pro summo imperio habuerunt iustitiam, abstinentiam, quia non reimp. sibi, sed se reip. dicauerunt. Regnent hi, quia vir bonus ¹⁵⁶ quidam proauus eo-rum fuit: qui animum supra fortunam gessit, qui in dissensione civili, quoniam ita ex-pediebat reip. vinci quàm vincere maluit. Referri illi gratia tam longo spatio non po-tuit. in illius respectum iste populo præsideat: non quia scit aut potest, sed quia alius pro eo meruit. Hic corpore deformis est, adspectu fœdus, & ornamenta sua ¹⁵⁷ traductu-rus. iam me homines accusabunt, cæcum & temerarium dicent, nescientem quo loco, quæ summis ac excellentissimis debentur, ponam. At ego scio, alij me istud dare, alij olim debitum soluere. Vnde isti norunt illum quemdam, gloriæ sequentis fugacissi-mum, eo vultu ad pericula euntem, quo alij ex periculo redeunt: numquam bonum suum à publico distinguunt? Vbi, inquis, iste, aut ¹⁵⁸ quis est? apud me istæ ex-pensorum acceptorumque rationes ¹⁵⁹ dispunguntur. Ego quid cui debeam, scio. aliis post longam diem repono, aliis ¹⁶⁰ in antecessum: ac prout occasio, & reip. meæ facultas tulit. Ingrato ergo aliquando quædam, sed non propter ipsum dabo. Quid si, ^{xxxiii} inquit, nescis, vtrum gratus sit, an ingratus? expectabis donec scias, an dandi beneficij tempus non amittes? Expectare longum est. nam (vt Plato ait) difficilis humani animi coniectura est: non expectare, temerarium est. Huic respondebimus, numquam ex-spectare nos certissimam rerum comprehensionem: quoniam in arduo est veri explo-ratio: sed eâ ire, quâ ducit veri similitudo. Omne hac viâ procedit officium. sic ferimus, sic nauigamus, sic militamus, sic vxores ducimus, sic liberos tollimus: cùm omnium horum incertus sit euentus. Ad ea accedimus, de quibus benè sperandum esse credimus. Quis enim pollicetur ferenti prouentum, nauiganti portum, militanti victoriam, marito pudicam vxorem, patri pios liberos? Sequimur ¹⁶¹ quâ ratio, non quâ veritas trahit. Ex-specta, vt nisi benè cessura non facias, & nisi compertâ veritate nihil moueris: relicto omni actu vita consistit. Dum verisimilia me in hoc aut illud impellant, ^{162 163} non verebor beneficium dare ei, quem verisimile erit gratum esse. Multa, inquit, in- ^{xxxiv} teruenient, per quæ & malus pro bono surrepat, & bonus pro malo displiceat. fallaces enim sunt rerum species, quibus credimus. Quis negat: sed nihil aliud inuenio, per quod cogita-

154. IN APERTO.] Ita sanè. omnia tempora in præsentia.

155. QVIA PRO.] Cum Grutero, qui. & mox; qui non reimp.

156. QVIDAM.] Liber meus addit, quidam ante, & sequens statim, qui, omittit. Legatur: qui iam antè p.e. fuit, animum.

157. TRADUCTVRVS.] Derisui expositurus, in ore populi vilia facturus. Vt in Iuuenali:

— in quâ se traducebat Vlysses

Ancipitem.

Eodem:

Squallentes traducit auos. ibi Scholiastes: De-decorat parentes suos. Martialis:

Rideris, multoque magis traduceris Afer.

A traductionibus per fora & theatra noxiorum: quod Polybius & Græci ἀγρυπνῶντες dicunt, ostentui exponere.

158. QVIS EST?] Veteres subdunt, vnde vos sci-tis? siue vt meus, vnde nos scitis. Que Muretus de-letum it, aliorum assensu, non meo. Ego immutatum: aut quis est, vnde: nescitis. apud me istæ. Quæri-tis, vbi, quis, vnde (sic solet de ignotis:) vos nescitis, at mihi hæc liquent.

159. DISPUNGUNTUR.] A re nummariâ ver-bum. & Dispungit, qui per puncta rationum it, con-fert, pariatq.: Expungit, autem, qui paribus factis, nomina delet.

160. IN ANTECESSVM.] Mei, in antecessum est, voculâ adiectâ. Item à nummulariis. & signifi-cat, compendio sermonis, antequam dies cessus sit sol-uere: occupare, & anteuenire. Noster cùm alibi, tum epi st. vii. atque ibi ego. Mox fortè, rei meæ.

CAP. XXXIII. 161. QVA RATIO.] Quod ratione asserente & indicante futurum videtur: non quod liquidò futurum constet.

162. NON VEREBOR.] Nihil: præsertim in bo-nis. Menandri præceptum congruit:

Ὅταν τι φράττης ὀσίον, ἀγαθὴν ἐλπίδα

Πρόβαλλ' ἐαυτῶ, τὲ το γινώσκων, ὅτι

Τόλμη δ' ἰαχία καὶ θῆος συλλαμβάνει:

Vbi agere honesti insistis aut quidquam boni, Propone spem menti bonam, certus Deum Conatibus iustis tuis fore adiuuam.

163. NON VEREBOR.] Scripti abeunt: non ve-rè beneficium dabo. Vellem, numero beneficium dabo: id est, statim, sine aliâ morâ. Si displicet hoc Comicum, non temerè b. dabo.

CAP.

cogitationem regam. His veritas mihi vestigiis sequenda est: certiora non habeo. Hæc A
 ut quàm diligentissimè æstimem, operam dabo, nec citò illis assentiar. Sic enim in præ-
 lio potest accidere, ut telum meum in commilitonem manus dirigat, aliquo errore de-
 cepta; & hosti, tamquam meo, parcam. sed hoc & rarò accidet, & non vitio meo: cui
 propositum est hostem ferire, ciuem defendere. Si sciam ingratum esse, non dabo bene-
 ficium. At obrepit, at imposuit. nulla hîc culpa tribuentis est: quia tamquam grato
 dedi. Si promiseris, inquit, te daturum beneficium, & postea ingratum esse scieris, da-
 bis, an non? Si facis, sciens peccas: das enim cui non debes. si negas, & hoc modo pec-
 cas: quia non das ei, cui promissisti. ¹⁶⁴ Secta vestra hoc loco titubat, & illud superbum
 promissum, ¹⁶⁵ numquam sapientem facti sui pænitere, nec unquam emendare quod
 fecerit, nec mutare consilium. Non mutat sapiens consilium, omnibus his manentibus
 quæ erant, cum sumeret. Ideò numquam illum pænitentia subit: quia nihil melius illo
 tempore fieri potuit, quàm quod factum est: nihil melius constitui, quàm quod consti-
 tutum est. Ceterum ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit quod impediat: B
 ideò omnia illi succedere dicimus, & nihil contra opinionem accidere, quia præsumit
 animo, posse aliquid interuenire, quod destinata prohibeat. Imprudentium ista fidu-
 cia est, fortunam sibi spondere: sapiens utramque partem eius cogitat. scit quantum li-
 ceat errori, quàm incerta sint humana, quàm multa consiliis obstant. ancipitem rerum
 ac lubricam sortem suspensus sequitur, & consiliis certis incertos euentus. Exceptio au-
 tem, sine quâ nihil destinat, nihil aggreditur, & hîc illum tuetur. Promissi be-
 neficium, nisi si quid incidisset, quare non deberem dare. Quid enim, si quod illi polli-
 citus sum, patria ¹⁶⁶ sibi me dare iusserit? Si lex lata erit, ne id quisquam faciat, quod
 ego me amico meo facturum promiseram? Promissi tibi filiam ¹⁶⁷ in matrimonium.
 postea ¹⁶⁸ peregrinus apparuisti: non est mihi cum extraneo connubium. Eadem lex
 me defendit, quæ vetat. Tunc fidem fallam, tunc inconstantia crimem audiam, si
 cum omnia eadem sint, quæ erant promittente me, non præstitero promissum. alio-
 quin quidquid mutatur, libertatem facit de integro consulendi, & meam fidem liberat. C
 Promissi aduocationem: postea apparuit per illam causam præiudicium in patrem
 meum quæri. promissi me peregrè viâ exiturum: sed iter infestari latrociniiis nunciatur.
¹⁶⁹ in rem præsentem venturus fui: sed æger filius, sed puerpera vxor tenet. Omnia esse
 debent eadem, quæ fuerunt cum promitterem, ut promittentis fidem teneas. Quæ
 autem maior fieri mutatio potest, quàm si te malum virum & ingratum comperi: quod
 tamquam digno dabam, indigno negabo, & irascendi quoque causam habebō dece-
 ptus. xxxvi. Inspiciam tamen, & quantum sit de quo agitur: dabit mihi consilium pro-
 missæ rei modus. Si exiguum est, dabo: non quia dignus es, sed quia promissi. nec
 tamquam munus dabo, sed verba mea redinam, & ¹⁷⁰ aurem mihi peruellam: damno
 castigabo promittendi temeritatem. Ecce ut doleat, ut postea consideratiùs loquaris:

CAP. XXXIV. 164. SECTA VESTRA.] *Quis supposuit? nam scripti & editi, Conscientia, non Secta. ex quo Mureto placebat, Scientia: alij Constitutio. At verum erit, Constantia. nam de eâ agitur, & Stoico isto dogmate, quod Sapiens in de- cretis suis nihil mutet. Res clara est: & mox quoque Seneca purgat inconstantia crimem.*

165. NUMQUAM SAP.] *Quod manat ex illo capite, Μη δὲ δέσσειν τὸν σοφὸν, τὰς ἐν ἑαυτῷ συντάττειν ἀποφάσεις: Non opinaturum sapien- tem, hoc est falso nulli accessurum. Itaque de- creta eius omnia vera & firma sunt: eorū, nec muta- tioni, nec pænientiæ subiecta. Vide Manud. III. Dissert. VIII.*

CAP. XXXV. 166. SIBI ME.] *Scripti, sibi non. Legendum, nos.*

167. IN MATRIMONIUM.] *Mirum in optimo*

meo legi, in verum, vel nerum, ambigua litterâ. Suspicio, nulum. Nam parentes ita inter se (Plau- tus docebit) contrahabant. An, in torum?

168. PEREGRINVS.] *Et tu, & tuus filius. At coniugium, Romanis legibus, inter ciues tan- tum est.*

169. IN REM PR.] *Coram adfuturus ipse. A Iuriconsultis est. & noster usurpat sapiens: aliq, exempla Brissónius XIV. De verb. sign. dabit.*

CAP. XXXVI. 170. AUREM PERV.] *Id est, ipse me admonebo: ad cautionem in posterum ad- hortabor. Nam aurem vellere, commonefacientis est, & memoriam item excitantis. Plinius: Est in aure imâ memoriæ locus, quam tangentes ante- stamur. Virgilius: Cynthus autem Vellit, & ad- monuit. Noster iterum, lib. v. infra, cap. VII. & epist. XCIV.*

A quod dicere solemus, ¹⁷¹linguarium dabo. Si maius erit, non committam (quemadmodum Mecænas ait) ut ¹⁷²sestertio centies obiurgandus sim. Inter sese enim utrumque comparabo. Est aliquid, in eo quod promiseris, perseverare: est rursus multum in eo, ne indigno beneficium des. Hoc tamen quantum sit, attendendum. si leue, conuiueamus: si verò magno mihi aut detrimento, aut rubori futurum, malo semel excusare, quare negauerim, quàm semper, quare dederim. Totum, inquam, in eo est, ¹⁷³quanti promissi mei verba taxentur. Non tantum quod temerè promissi, retinebo, sed quod non rectè dedi, repetam. Demens est, qui fidem præstat errori.

Philippus Macedonum rex habebat militem manu fortem, cuius in multis expedi-
tionibus utilem expertus operam, subinde ex prædâ aliquid illi virtutis causâ dona-
uerat, & hominem vânalis animæ crebris ¹⁷⁴auctoramentis accendebat. Hic naufragus in possessiones cuiusdam Macedonis expulsus est. quod ut Macedoni illi nuncia-
tum est, accucurrit, spiritum eius recollegit, in villam illum suam transtulit, lectulo
B suo cessit, ¹⁷⁵affectum semianimemque recreauit, diebus triginta impensâ suâ curauit, refecit, viatico instruxit, subinde dicentem: *Gratiam tibi referam. Videre tantum mihi imperatorem meum contingat.* Narrauit Philippo naufragium suum, auxilium tacuit, & protinus petijt, ut sibi prædia cuiusdam donaret. Ille quidam erat hospes eius, is ipse, à quo receptus erat, à quo sanatus. Multa interim reges, in bello præsertim, opertis oculis donant. non sufficit homo iustus vnus tot armatis cupiditatibus. non potest quisquam eodem tempore & bonum virum, & bonum ducem agere. Quomodo tot millia hominum insatiabilia satiabuntur? quid habebunt, si suum quisque habuerit? Hoc Philippus sibi dixit, cum illum induci in bona quæ petebat iussit. Expulsus bonis suis ille, non ut rusticus iniuriam tacitus tulit, contentus quòd non & ipse ¹⁷⁶donatus esset: sed Philippo epistolam strictam ac liberam scripsit: quâ acceptâ ita exarsit, ut statim ¹⁷⁷Pausania mandaret, bona priori domino restitueret. ceterum improbissimo militi, ingrati-
tissimo hospiti, auidissimo naufrago, ¹⁷⁸stigmata inscriberet, ingratum hospitem te-
C stantia. Dignus quidem fuit, cui non inscriberentur illæ litteræ, sed insculperentur, qui hospitem suum, nudo & naufrago similem, in id in quo iacuerat ipse littus expulerat. Sed videbimus, quis modus pœnæ seruandus fuerit: auferendum utique fuit, quod summo scelere inuaserat. Quis autem pœnâ eius moueretur, qui id commiserat, propter quod nemo ¹⁷⁹miserari miseros posset? Dabit tibi Philippus quia promisit, ^{xxxviii}etiam si non debet, etiam si iniuriam, etiam si scelus facturus est, etiam si vno facto præclusurus est naufragis litora? Non est leuitas, à cognito & damnato errore discedere: & ingenuè fatendum est: *Aliud putavi: deceptus sum.* Hæc verò superbæ stultitiæ perseverantia est: *Quod semel dixi, quaecumque est, fixum ratumque sit.* Non est turpe, cum
re mu-

171. LINGVARIVM.] *Meus selectior liber, linguari iuri. An quid lateat? an vulgate adheremus, & cum Mureto explicamus, multam dependam & quasi vectigal, pro linguâ temerè locutâ? Nam*
D *Linguarium ita appositè, ut Vasarium, Hordearium, Calcearium, Cerarium: quod pro vasis, hordeo, calceis, cerâ datur. Ipsi verbis sententia ea affirmatur, Damno castigabo: & Verba mea redimam.*

172. SESTERTIO CENTIES.] *Sic in Consolatione ad Heluiam: Quorum Pantomimæ sestertio decies nubunt: & in Tacito atque alijs, crebro. Miror, omissam eam vocem in editione Romanâ. Argutè Mecænas, nolle se obiurgari tanto impendio, id est rebus ipsis non verbis. Reddat nobis CCL. M. Philipp.*

173. QUANTI PROMISSI.] *Id est, magna an parua promiserim: quæ summa & impendium è verbis meis surgat. Statim etiam, qui fidem præ-*

stat errori eligendum, cum libris priscis: & significat non præstandam fidem, ubi est error.

CAP. XXXVII. 174. AVCTORAMENTIS.] *Donis, præmijs. Nos in II. Saturn.*

175. AFFECTVM.] *Mei libri afflictum, semiuiuumque.*

176. DONATVS.] *In seruitutem.*

177. PAUSANIA.] *An qui postea eum occidit?*

178. STIGMATA.] *Inuistas fronti notas, de quibus affatim II. Elector.*

179. MISERARI MISEROS.] *Placet, & sequentia illa stabiliunt: Nonne omnibus miseris aquâ & igni interdixerat? Item: Vno facto præclusurus est naufragis litora. Tamen scripti plerique, misereri misericors: quod ipsum hand improbum.*

CAP.

re mutare consilium. Age, si Philippus possessorem illum eorum litorum reliquisset, A
 quæ naufragio ceperat, nonne omnibus miseris aqua & igni interdixerat? Potius est,
 inquit, intra fines regni mei, te litteras istas ¹⁸⁰ oculis inscribendas, durissimâ fronte
 circumferre. ostende quàm sacra res sit mensa hospitalis. præbe in facietuâ legendum
 istud decretum, quo cauetur, ne miseros tecto iuuare capitale sit. Magis ista constitu-
 tio sic erit rata, quàm si illam ¹⁸¹ in æs incidissem. Quare ergo, inquit, Zeno
 vester, cum quingentos denarios mutuos cuidam promississet, & illum parum ¹⁸² ido-
 neum comperisset, amicis suadentibus ne daret, perseveravit credere, quia promiserat?
 Primum alia conditio est in credito, alia in beneficio. Pecuniæ, etiam malæ creditæ,
 exactio est. & appellare debitorem ad diem possum, & si foro cesserit, ¹⁸³ portionem
 feram. beneficium & totum perit, & statim. Præterea hoc mali viri est, illud mali pa-
 trisfamilia. Deinde ne Zeno quidem, si maior fuisset summa, credere perseverasset.
 Quingenti denarii sunt. Illud quod dici solet, in morbo consumat. ¹⁸⁴ fuit tanti, non
 reuocare promissum suum. Ad cenam quia promisi, ibo, etiam si frigus erit: non B
 quidem, si niues cadent. Surgam ad sponsalia, quia promisi, quamvis non concoxe-
 rim: sed non, si febricitauero. Sponsum ¹⁸⁵ descendam, quia promisi: sed non si spon-
 dere ¹⁸⁶ in incertum iubebis, si ¹⁸⁷ fisco obligabis. Subest, inquam, tacita exceptio,
 si potero, si debebo, si hæc ita erunt. Effice, ut idem status sit, cum exigitur, qui fuit
 cum promitterem. destituere leuitas non erit, si aliquid interuenit noui. Quid miraris,
 cum conditio promittentis mutata sit, mutatum esse consilium? eadem mihi omnia
 præsta: & idem sum. Vadimonium promittimus, tamen deferitur. Non in omnes datur
 actio. ¹⁸⁸ deferentem vis maior excusat. Idem etiam illâ in quæstione responsum
 existima, an omnimodo referenda sit gratia, & an beneficium utique reddendum sit.
 Animum præstare gratum debeo: ceterum aliquando me referre gratiam non patitur
 mea infelicitas, aliquando felicitas eius cui debeo. Quid enim regi, quid pauper diui-
 ti reddam? utique cum quidam recipere beneficium, iniuriam iudicent, & beneficia
 subinde alijs beneficijs onerent. Quid amplius in horum personam possum, quàm vel- C
 le? nec enim ideo beneficium nouum reijcere debeo, quia nondum prius reddidi.
¹⁸⁹ Accipiam tam libenter, quàm dabitur: & præbebo me amico meo exercendæ bo-
 nitatis suæ capacem materiam. Qui noua accipere non vult, acceptis offenditur. Non
 refero gratiam. quid ad rem? non est per me mora, si aut occasio mihi deest, aut fa-
 cultas. Ille præstitit mihi. nempe cum occasionem haberet, cum facultatem. Vtrum
 bonus vir est, an malus? apud bonum virum, bonam causam habeo: apud malum,
 non ago. Ne illud quidem existimo faciendum, ut referre gratiam, etiam inuitis his
 quibus refertur, properemus, & instemus cedentibus. Non est referre gratiam, quod
 volens

CAP. XXXVIII. 180. OCULIS.] *Quid? ipsis oculis inscripta nota? nec potuit, nec solet. In fronte dumtaxat, aut facie: id est supra, aut circa oculos. An fuit, oculis? non quod ipsis propriè oculis inscripta, sed ferro quod canduerat in illis. Talis dictio Columelle:*

Deletura quoque est fronti data signa fororum.

An magis verum, ocus? quod esset, statim & sub hoc meo aspectu inscribendas. neque displiceret, istas omnium oculis: aspectui omnium.

181. IN ÆS.] *Quod in legibus receptum: & eò respicit.*

CAP. XXXIX. 182. IDONEVM.] *Pro eo qui sufficiat, & sit soluendo: quomodo & Ic.*

183. PORTIONEM.] *Et hodie ita ius: & olim actione Tributaria, aut quasi Seruiana, persequebantur.*

184. FUIT TANTI.] *Pulchrè. quasi dicat, vel hoc impendio emere debui promissi fidem.*

185. DESCENDAM.] *Quia in foro & ad tribunal publica illa sponfiones.* D

186. IN INCERTVM.] *Summâ non expressâ. quod cautiore merito fugiunt.*

187. FISCO.] *Cuius graues leges, an privilegia. & causa eius, nisi sub bono Principe, numquam mala est, ait Plinius.*

188. DESERENTEM.] *Legerim distinxerimque: Non in omnes datur actio deferentes; vis maior excusat.*

CAP. XL. 189. ACCIPIAM.] *Homeri olim consilio:*

— & γδ καλὸν ἀνὴραδς δόσιν ἐς:

— non etenim pulchrum sit spernere dona.

190. RE.

A volens acceperis, nolenti reddere. Quidam, cum aliquod illis missum est munusculum, subinde aliud intempestive remittunt, & nihil se debere testantur. ¹⁹⁰ Reijciendi genus est, protinus aliud inuicem mittere, & munus munere expungere. Aliquando & non reddam beneficium cum possim, quando plus mihi detracturus ero, quam illi collaturus: si ille non erit sensurus ullam accessionem recepto eo, quo reddito, mihi multum abscessurum erit. Qui festinat utique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et breuiter dicam, qui nimis cito cupit soluere, inuitus debet: qui inuitus debet, ingratus est.

190. REIICIENDI GENVS EST.] Reijciendi sumpti genus, *postrema voce compendia*
Mens, Reijciendi sunt pignus. *Certò fuit: re-* *scripta.*



L. AN-